1622. d 23. ~~Octobris~~ Augusti.



Nos Gustavus Adolphus DEI gratia Svecorum, Gottorum Vanda-
lorumque Rex Magnus Princeps Finlandiæ Dux Esthe-
niæ et Careliæ Dominus Universis et Singulis quorum
interest hasce Literas Nostras præsentes cernentibus et Le-
gentibus, Notum testatumque facimus, Postquam intelle-
ximus a Serenissimo Principe Domino Sigismundo
Rege Poloniæ Magno Duce Lituaniæ Russiæ Prussiæ
Masoviæ Samogitiæque ut et Livoniæ Domino nec
non Regno Poloniæ Magnoque Ducatu Lituaniæ certos
ad sopiendas differentias inter Nos Regnumque Nostrum
Hæreditarium Sveciæ et Regem Regnumque Poloniæ
nec non Magnum Ducatum Lituaniæ hisce temporibus e-
xortas Commissarios esse deputatos, qui desuper ut et
de Induciis vel pace Nobiscum Regnoque Nostro Sveciæ
Hæreditario tractarent, et statuerent, Igitur et Nos quo
hisce ulcerosissimis temporibus magis optime Paci con-
suleremus, quam plus Sanguinis Christiani profun-
di pateremur, Lubentius in Eandem Sententiam de-
scendimus, deputare igitur ad hujusmodi Negotium in
Livonia pertractandum statuendumque voluimus,
prout præsentibus hisce deputamus, constituimus, le-
gitimamusque Illustres Magnificos ac Generosos No-
bis Regnoque Nostro sincere fideles. Dominum Jaco-
bum de La Gardie Regni Sveciæ Senatorem, et Ma-
reschalcum Exercituumque Ducem Generalem Guber-
natorem Livoniæ et Rigensem, Comitem de Lecköe,
Liberum Baronem in Ekholm Dominum de Molcka-
hyda et Runsa Equitem auratum Dominum Axe-
lium Oxestiern Regni Sveciæ Senatorem et Cancella-
rium Liberum Baronem in Kimito, Dominum
de Fiholm et Tiaben Equitem auratum Dominum
Petrum Banerium Cameræ Nostræ Consiliarium
Gubernatorem Estoniæ et Revaliensem Dominum
de Ekenäs et Quittis, Equitem auratum, Joachi-
mum Berendes in Strömsberg Cameræ Nostræ Consilia-
rium et Præfectum Rigensem, Henricum He-
ming in Lechtis et Ekeby Gubernatorem, Guberna-
nii ac Narvensem Præfectum Militiæ Annonæ
et Ludovicum Tauben in Mayd et Consiliarium Pro-
vincialem Esthoniæ cum plenissima et sufficienti potestate
et Mandatorio Regnique Sveciæ Nomine cum Regis Regni-
que Poloniæ nec non Magni Ducatus Lituaniæ De-

putatis

12

putatis Commissarijs super Praenominatam Pacem sine in-
ducias agendi, tractandi, transigendi, concludendi, fir-
mandique contractum sive recessus desuper scriben-
dis subscribendique et Omnia peragendi quae ad e-
iusmodi Actum perficiendum conservandumque Licite
requiruntur, Quidquid igitur in hisce Judicijs Nostro Re-
gnique Sveciae Nomine vigore instructionis Nostrae
speciatim illis concreditae sunt acturi, tractaturi ac
promissuri, praenominati Commissarij Nostri id
quovis tempore Nostro Regnique Sveciae Nomine
ratum gratumque habebimus, Si quid etiam in
hac Plenipotentia Mandatoque Nostro desideretur,
quod pro re nata huic Pacificationi tractatuique
invenire potuerit, id et Omnia ac si per expressum
hisce inserta essent, subintelligenda volumus, in O-
mnibus et Singulis praetactis hos in damnos conser-
vaturi in forma Juris plenissima, In majorem fidem
hasce Manu Nostra subscripsimus, et Sigillum Ma-
iestatis Nostrae appendi curavimus, Dabantur Rigae
Civitate Nostra Regia Vigesima Tertia Mensis Au-
gusti Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Vi-
gesimo Secundo.

Gustavus Adolphus.